



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 2. Cur Christus reprehenderit Pharisæos, ob Phlilacteria dilatata, &  
fimbrias magnificatas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

*opificum opera.* Ita sensit Ethnicus, ob contemptum honoris, quàm alij ob cupiditatem, magis laudatus; eoque prudentior, quia iudicia, quàm testimonia hominum pluris fecit, cùm hæc sæpius soleant mentiri, quàm illa errare; qua mente oportet esse Christianum?

## §. II.

*Cur Christus reprehenderit Phariseos, ob Phylacteria dilatata, & simbrias magnificatas?*

Matth.  
23. 5.

Ipsè profectò Christus Scribarum & Phariseorum ambitionem reprehendens ait: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua; & magnificant simbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim Magister vester, omnes autem vos*

Deuter.  
6. 8.

Num. 15.

38.

Deut. 22.

12.

*fratres estis. Quòd si in phylacterijs non licet gloriam captare, quantò minùs in rebus profanis? Phylacteria enim, id est, conservatoria, erant membranulæ, in quibus legis præcepta scripta fuere, eas Scribæ & Pharisei circum caput, & circum brachia gestabant, ut perpetuò legem Dei ante oculos*

los haberent, quod D. Hieronymus scribit, etiam suo tempore, ab Indis, Persis, & Babylonijs fuisse factitatum. *Dilatabant ergo phylacteria*, ut ijs plura legis praecepta inscribi possent. Sed quia id faciebant, ut longius conspicerentur, & ipsi legem diligentius, quam ceteri Iudaei servare viderentur, dilatatio illa erat reprehensione digna; sicut &, quod *magnificarent*, seu maiores facerent *fimbrias*, eandem ob causam. *Fimbria* enim fuerant fila quaedam non texta, quae ex infima ora vestis dependebant hyacinthino colore. S. Hieronymus tradit, eos fimbrias has solitos acutissimis spinis inferere, quibus & cum ambularent, & cum sederent compungerentur, eoque dolore diuinam legem in mentem reuocarent. Quae res etsi alioqui non mala, mala tamen fiebat, ob inordinatum laudis appetitum. Mendacij quoddam genus est, meliorem velle videri, quam esse; bonaque laudis causa facere, argumentum vanitatis.

## §. III.

*An, & quomodo liceat Magistri, vel Patris titulum appetere, vel non appetere? Et num virtus Humilitatis antiquitus fuerit cognita?*

*Magi.*